



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quid faciat conscientia dum anxiatur de praedestinatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

acceptit & apprehendit, id est, quia credit in Christum, & eius verbo credit & obedit: cum illa fide promissionis Spiritus sanctus est efficax, id est, qui in Christum credit, illi donatur Spiritus sanctus, qui postea suos fructus operatur in illo electo, Galat. 5. ut retineat illam electionis gratiam. Si quis autem non credit in Christum, & contemnit oblatam promissionem salutis propter Christum, is derelinquitur, ut secus agat quam debeat, & decernitur illi poena quam meretur. Non tamē cogit Deus, ut quis vel suscipiat aut rejiciat fidem & promissionem salutis: offertur gratis promissio salutis per Euangelium, & gloria credentium, & poena impiorum denunciatur: & voluntas habet naturalem suam libertatem sibi congenitam, qua non priuatur etiam post peccatum, qua si promissionem salutis acceptat, accepit illam: si autem illam contempserit, merito reprobatur. A verbo Dei igitur debet ordiri praedestinatio, quia fides ex auditu, Rom. 10. Si quis ergo fide verbum promissionis & salutis propter Christum apprehenderit, de numero saluandorum est: neque enim de voluntate diuina extra verbum vel sine verbo iudicare debemus. Inutiles ergo quaestiones & cogitationes de praedestinatione, quia extra verbum Dei & scripturam imaginantur, relinquendae sunt: perturbant enim conscientiam, & dubiam relinquunt. Salubrius est, simpliciter credere verbo Dei, & illi obedire per innocentiam vitae, quam profunde de praedestinatione disputare: primum docet & iubet scriptura, non autem alterum.

Saepe conscientia angitur carnalibus argumentis & cogitationibus, scilicet, si ad salutem sum praedestinatus, saluabor: si autem, damnabor, qualiscumque etiam sit vita & opera. In tali cogitatione conscientia debet currere ad promissionem salutis vniuersalem, scilicet. Venite ad me omnes Matth. 11. & 9 Non Luc. 5.

E 5 veni

veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Et hoc precipue cogitate, quod promissio salutis est gratuita: Deinde vniuersalis, id est, Deus non respicit in tali electione merita nostra: nam eius misericordia & gratia, causa est electionis, & ad omnes clamat Euangelium: ideo nemo seipsum hic excludere debet, sed firmissime credere, se esse de numero saluandorum: & liberabitur conscientia à multis inutilibus cogitationibus & periculis. Et quia promissio salutis liberè offertur omnibus, & tamen stat cum libertate voluntatis, in quam partem se inflectere velit: ideo non oportet totaliter hoc in Deum reijcere, si sum prædestinatus, saluabor: sin autem, &c Oblata gratia, prædestinatio, electio non cogit: si quis autem se applicauerit fide ad promissionem salutis, statim adest Spiritus sanctus, & cum tali est efficax, perficit fidem & opera, dilectionem, timorem & alios motus spirituales legi Dei consentientes.

Tropi illi Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Et iterum, Indurabo cor Pharaonis, & consimiles significant permissionem diuinam, non voluntatem efficacem aut cogentem, quia voluntas non priuatur sua naturali libertate. Ideo Deus permittit indurari cor Pharaonis, non autem cogit: si voluntas Pharaonis voluisset vti sua naturali libertate, potuisset cessasse verbo Moylis, &c. vel secundum Originem, figura dicendi est, Indurabo cor Pharaonis &c, quasi diceret: indulgentia & pietas Domini fecit seruum contumaciorem, & facilitas veniæ parentum, est causa delinquendi filijs: vbi tamen nec Dominus, nec parentes cogunt, sed propria & peruersa illorum voluntas facit eos impios.

Certa igitur est promissio salutis & gratuita & vniuersalis, modo quis apprehendat fidem in Christum. Nam propter hanc fidem in Christum, & ob nullam aliam, offertur promissio salutis. Apostolus dicit

dicit ad Galat. 3. Omnes vos vnum estis per fidem in Christum. Non etiam vult Deus non imputare peccatum, si quis solùm velit se committere suæ misericordiæ, seclusa fide in Christum. Sic aliqui volebant dicere ex verbis prophetæ Psal. 31. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, &c. nam sic gratis venisset & laborasset Christus, Galat. 2. Non ergò vult Deus secludi Christum, immò quòd non imputat peccatum, ex misericordia propter Christum, est propter solam fidem in Christum, & ob nullam aliam fidem. Ideò vbique Apostoli adiungunt in negotio fidei & salutis Iesum Christum, propter illum nobis offertur Euangelium & salus, & nobis denunciatur eius verbum, quod si quis acceptauerit, certus erit de salute.

CAP. XX

ARGVMENTA.

1. *Quàm habeat homo liberam voluntatem naturaliter.*
2. *Quæ sit spiritualis libertas sanctificati hominis.*
3. *Quomodo voluntas nostra est causa contingentia rerum.*

HOMO primus fuit creatus cum originali iustitia, homo rectus, & non corruptæ naturæ, quia originali iustitia potuisset Deo verè obediuisse, timuisse & dilexisse, & sine peccato fuisse. Sed peccans ex persuasione serpentis Genes. 3. perdidit illam iustitiam originalem, & natura ipsa infecta est atq; vitiata, ita vt nunc homo post peccatum ex sua natura & voluntate non possit Deum verè diligere, timere, aut illi credere, nec quippiam boni cogitare, multò minus fa-